

9. Sanchez a Re Ferdinando I.<sup>1</sup>

Roma, 20 gennaio 1535.

XV praesentis scripsi ad M<sup>tem</sup> V. ultimo per viam r<sup>mi</sup> d<sup>ni</sup> Tridentini, eodem vero die idum ego scribebam habuit consistorium S<sup>tas</sup> Sua, in quo, ut ex optimo loco compertum habeo, proposuit haec verba cardinalibus: "propter causas apprime necessarias atque urgentissimas deliberavimus et proposuimus indicere concilium generale. Volumus et petimus consilium vestrum, an primo debeamus petere consensum principum christianorum". Responderunt omnes nemine discrepante nullomodo debere concilium generale celebrari, subiungentes aliquas apparentes rationes. Verum replicans illis Sua B. dixit: "D<sup>ni</sup> r<sup>mi</sup>, video vos parum intellexisse mentem meam. Nos enim non consulimus, an debeat indicere concilium vel ne, quia mens nostra firma est illud indicere, sed, an ad hoc faciendum debeamus primo petere consensum principum vel ne". Tunc omnes unanimiter censuerunt consensum principum debere peti atque ita est deliberatum.<sup>2</sup> Hoc enim faciunt cardinales, ut protrahant et differant negotium concilii. Quia, licet pontifex habeat in hoc bonam voluntatem, totum collegium cardinalium renititur et propterea in tractatu huius rei cavendum esset ab eis. Licet certe non possum dicere, nisi quod cardinalis Salviatus servit bene M<sup>ti</sup> Vestrae.

Orig. nell'Archivio domestico, di Corte e di Stato in Vienna.  
Romana, fasc. 7.

10. Papa Paolo III ad Andrea Cricius, vescovo di Plock.<sup>3</sup>

18 marzo 1535.

Venerabili fratri Andree episcopo Plocensi. Venerabilis frater salutem etc. Dudum per fe. re. Clementem papam VII predecessorem nostrum accepto, quod nonnulli partium Germanie pestifere heresis Lutherane labe respersi ad cor redeuntes ad regnum Polonie ut communioni ecclesiasticae restitui possent se conferebant, dictus predecessor paternitati tue quascunque utriusque sexus tam ecclesiasticas quam seculares personas huiusmodi Lutheran[a] aut quavis alia heresi refertas undecunque existentes ad dictum regnum ut in eo habitarent pro tempore se conferentes ad veritatis lumen redire et<sup>4</sup> huiusmodi heresim abiurare volentes, postquam errores suos deposuissent ac de premissis doluisserent idque humiliter petiissent, si alias relapsi non

<sup>1</sup> Cfr. sopra, p. 32.<sup>2</sup> Da qui in poi cifrato con deciframento interlineare.<sup>3</sup> Cfr. sopra, p. 248.<sup>4</sup> Corretto da «ut».